Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3309
Quelle:
Copyright:

XVI. *Concill.* edit. *Venet. col.* 1375.

X. *fol.* 87. *Sermo bernhardi baptizati monachi et abbatis ordinis Sancti Benedicti quem predicauit in Concilio Constan. Dominica Tercia post pasca Anno Domini MCCCC.XVI.* Initium: *Plorabitis et flebitis vos — Patres prelati et Reuerendissimi ceterique patres et domini ac fratres mei dilectissimi, debilia post primi reserata dogmata verbi me inuitauit ad seriem processus sorte sermo secundus* &c. Pluries igitur *Bernhardus* hic ad Concilium dixit. Sermonem, quem *Herm. Hardtius* T. I. p. 879. publicavit, habitum *Dom. XI. post Pascha* Autor ipse in ingressu *Tertium* adpellat, noster, quem etiam e *Cod. Blavifontano* memorat *l. supracit. Schelhornius*, *secundus* est, praeterea alium e *Cod. Krafft.* idem Vir literatus excitat T. III. *Amoenit.* p. 46. in verba Pauli: *Gratia vobis et Pax*, quem fortasse *primum* dicemus. In praesenti non nisi finem versus ad res Concilii advertit. Ibi: *Dixit enim in corde suo Domina cupiditas seu Auaricia, cuius scisma diuisio et symonia sunt Ancille, sedeo regina in clero, vidua non sum, luctum non videbo, sed Deus, qui est valde fortis, iudicabit eam. Ideo in vna die veniunt plage eius* &c. Et infra: *Videtis enim quot expensas, quot labores, quot passus fecerunt et faciunt Serenissimus princeps Romanorum Rex et illustrissimus princeps dux Bauarie* (Ludovicus Palat.) *conseruatorque sacri Concilij pro celebrandis nupcijs* (Agni) *in quibus videte vt habeatis vestes nupciales* &c. Ceterum ἀνεκδοτον puto.

XI. *fol.* 94. p. 2. *Sermo factus in Concilio Constan. in Dominica Septuagesime.* Initium: *Ite et vos in vineam meam. Scribitur Math. XX. R. p. ceterique viri celeberrimi. Hec dies Dominica que LXXme nomen non incongrue possidet* &c. Excerptum inde dedit *Hardtius Proleg. in* T. V. p. 23. ubi et autor innotescit *Theodoricus de Monasterio* jam supra adductus.

XII. *fol.* 104. p. 2. *Sermo per fratrem Alexium ordinis minorum Episcopum placentinum predicatus dominica secunda in Quadragesima. Quando cantatur Reminiscere. Anno &c. Sextodecimo.* Initium: *Faciamus hic tria tabernacula. Math. XVII. et in ewangelio hodierno. Secundum sententiam deuoti bernhardi humano generi triplex inest miseria* &c. De *Alexio de Seregno* vel *Siregnio Mediolan.* nihil in *Actis* Concilii; neque Autores ab *Ughellio* T. II. *Ital. Sacrae* p. 232. citati eum *Constantiensi*, sed tantum *Basileensi* interfuisse narrant. *Waddingus* in *Scriptt. O. M.* Quadragesimale ei tribuit, Sermonem nostrum tacet, qui tamen etiam in *Codd. Krafftiano* et *Blavifontano* apud *Schelhorn cit.* legitur; sed res Concilii parum tangit, in mystica *Tabernaculorum* expositione totus.

XIII. *fol.* 111. *Sermo predicatus in Concilio Constan. In die Sancti Michaelis per fratrem Johannem Zacharie sacre theologie professorem ordinis heremitarum San-*